

contineat. Adde, quod etiam Calvinus cap. XVII. §. 47. Instit. hoc ultimum caput Marci admittit ut partem Evangelii, ut non sit opus in hac re probanda diutius laborare.

Ex cap. XXII. Lucæ quidam in dubium revocant historiam illam de sudore Christi sanguineo, et angelica apparitione et consolatione, ut Hilarius testatur lib. X. de Trin. et Hieronym. lib. II. contra Pelagianos. Causa quæ hos permovit ea fuit, ne Christo infirmitatem et animi dolorem tribuere viderentur: præ etiam de causa quosdam Catholicos præpostero zelo e suis codicibus ex illis verbis Luc. XIX. *videns civitatem flevit super illam* abrasisse verbum, *fleuit*, testatur Epiphanius in Ancorato. At certe isti timuerunt ubi non erat timor. Si enim Christus ut homo potuit imminente passione pavere et tædere, ut etiam Matt. cap. XXVI et Marc. XIV testantur: cur non potuit eadem ratione sudare et angelicam consolationem admittere? et si corpus habuit passibile et animam sentientem; cur non potuit dolere et flere? Itaque Athanasius lib. VI. ad Theophilum, qui ista de beatitudine filii Dei, anathema dicit iis qui Christum sanguinem sudasse negant. Epiphanius quoque in Ancorato et Augustinus lib. III. de Consensu Evang. cap. IV, hunc locum Lucæ ut Evangelicum agnoscunt: neque Hilarius et Hieronymus locis citatis contrarium docent, sed tantum monent, non in omnibus codicibus suo tempore fuisse, et propterea non ita certæ fidei habitum.

Initium capituli VIII. Joannis, quæ adulteræ historia continetur, non fuisse olim certæ fidei, Erasmus docet in annotatione hujus loci ex Eusebio lib. III. hist. c. 39. ubi sic dicit de Papia loquens: «Historiam quamdam subjungit de muliere adultera, quæ accusata est a Judæis apud Dominum; habetur autem in Evangelio quod dicitur secundum Hebræos scripta ista parabola.» Quibus verbis aperte indicat, se non vidisse eam historiam in Evangelio Joannis et sibi non tam historiam quam parabolam videri. Nihilominus tamen dubium esse non debet, quin ea et historia sit et Evangelica, cum legatur in Ecclesia in Sabbato post Dominicam III Quadragesimæ, et eam agnoscat gravissimi Patres Græci et Latini: Ammonius Alexandrinus in suo Monofessaro Evangelico, Atha-

(1) Cap. V. 7.

nasius in Synopsi in compendio Evangelii Joannis, Chrysostomus hom. 60. in Joann. Ambrosius in epist. 58. lib. VII. ad Studium, Hieronymus lib. II. contra Pelagianos, et Augustinus tractat. 33. in Joannem. Idem quoque Aug. lib. II. de adulteris conjugis cap. 7. eam historiam ab inimicis veræ Fidei erasam fuisse de nonnullis codicibus dicit.

Neque causæ nostræ officit, sed prodest potius quod Eusebius scribit, Papiam Joannis discipulum hujus historiæ meminisse; id enim signum est rem esse veram. Quod autem eam Eusebius in suo codice Evangelii non habuerit, parum refert, forte enim ab aliquo erasa erat. Adde quod probabile est, Eusebium non loqui de hac historia adulteræ, sed de aliâ vere apocrypha: nam, in textu Græco, Eusebii non habetur nomen adulteræ, sed *περὶ γυναίκης ἧτις πώλλας ἀμαρτίας διαβύβητος*.

De verbis illis, quæ habentur epist. I. Jo: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater Verbum et Spiritus sanctus, et hæ tres unum sunt* (1): dubium aliquando existisse, et nunc etiam esse debere, longa oratione contendit Erasmus in annotatione hujus loci: at certe in Ecclesia publice leguntur hæ verba in Dominica in Albis. Eundem locum agnoscit Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum, Athanasius lib. I. ad Theophilum, qui est de unita Deitate. Joann. II. Papa in epist. ad Valerium, Hieronymus in Prologo epistolarum canonicarum, Idacius in lib. adversus Varimundum, et Eugenius Carthaginiensis apud Viotorem lib. II. de Persecutione Wandalica. Quare verba illa veram esse partem Scripturæ divinæ non dubium est.

CAPUT XVII.

De epistola ad Hebræos.

Duplex dubitatio de hac epistola fuit, una de auctore, altera de auctoritate ejus, quæ tamen ita connexæ sunt, ut pauci sint, qui de uno dubitaverint, et non de altero. Primum igitur ex antiquis hæreticis Marcion, teste Hier. Præf. in epist. ad Titum; et Arius,

teste Theodoreto Prefatione in epist. ad Hebræos, epistolam ad Hebræos neque Pauli esse, neque sacram docebant. Ex novis hæreticis Lutherus in Prologo epist. ad Hebræos hanc epistolam nec esse Pauli, nec ullius Apostoli contendit quod quædam contineat contra Evangelicam et Apostolicam doctrinam. Luthero subscribit Brentius in Confess. Wittenberg. c. de sacra Scriptura, et Kenenitius in examine IV. sess. Cone. Trident. Magdeburgenses quoque cent. 1. lib. II. cap. 4. col. 55. et alii hujus temporis hæretici, exceptis Calvinistis; Calvinus enim in Instit. impressa anno 1534. cap. VIII. §. 216. contendit, hanc epistolam esse vere Apostolicam, et errare in hac parte Lutheranos: tamen an Pauli sit, an alterius Apostoli, ut Barnabæ, aut Lucæ, dubitat Calvinus, ut patet ex eadem Instit. c. X. §. 83. et cap. XVI. §. 25. quocirca Ministri Calvinistæ in ea Confessione quam obtulerunt Pissiaci art. 3., ponunt hanc epistolam in numerum divinarum Scripturarum, sed tanquam auctoris incerti.

Præter hos manifestos hæreticos, Catholicos etiam quosdam, et præsertim Latinos de auctore hujus epistolæ dubitasse, et propterea eam minoris fecisse, testis est Eusebius lib. III. hist. c. 3. necnon B. Hieronymus in lib. de Viris illustribus in Paulo, ubi dicit: hanc epistolam a quibusdam Latinorum negari esse Pauli, sed vel Barnabæ, vel Lucæ, vel Clementis Romani Pontificis. At Sixtus Senens. lib. VII. Bibliothecæ sanctæ, a quibusdam etiam attribui Tertulliano. Nostris temporibus Erasmus ad finem annotationum in hanc epistolam, et Cajetanus ad initium Commentariorum in eandem epistolam, questionem jam olim sopitam iterum revocarunt in lucem.

Verum hanc epistolam et canonicam esse, et Pauli Apostoli, facile probari potest. Primum, quoniam nomine Apostoli Pauli legitur in Ecclesia in die Natalis Domini et alias frequenter. Secundo, quia producta in testimonium ac recepta est ut Pauli a multis antiquissimis Pontificibus, ut Clemente I. in epist. ad Corinthios apud Eusebium lib. III. c. 38. Innocentio. I. in epist. 3. ad Exuperium, Gelasio. I. in Concilio Episcoporum LXX. Tertio, quia ponitur in canone sacrarum Scripturarum nomine Pauli a Concilio Laodiceno can. 59. Car-

(1) Cap. III. 1. et 15.

thag. III. can. 47. et Trident. sess. IV. et agnoscitur etiam ut Pauli a Nicæno. I. teste B. Thoma in hanc epistolam: ab Ephesino I. et Chalcedonensis approbantibus duodecim capitula Cyrilli, quorum decimum tale est: «Pontificem et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat, etc.» etiam ab Araucano. II. canone ultim., ubi et Apostoli, et divina Scriptura esse dicitur.

Quarto, quoniam recepta fuit semper ab omnibus Græcis Patribus, ut patet, tum quia omnes eam ut Apostoli citant, tum quia B. Hieronymus in epist. ad Dardanum id affirmat, tum etiam quia omnes qui canonem exponunt, hanc epistolam cum ceteris Paulinis numerant, ut Origenes apud Eusebium lib. VI. cap. 18. histor. et ipse Eusebius lib. III. cap. 3. Gregorius Nazianzenus in carmine de canone Scripturæ, Athanasius in Synopsi, Epiphanius hæres. 76. Dama-cenus lib. IV. cap. 48.

Quinto, recepta fuit etiam ab omnibus Latinis post Lactantium. Soli enim Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius hanc epistolam non videntur agnoscere; nec enim eam unquam citant, quod sciam: at Hilarius lib. XII. de Trin. Ambrosius lib. II. de Cain cap. 2. Hieron. in epist. ad Dardanum de Terra promissionis, August. lib. II. Doctr. Christ. cap. 8. et Ruffinus in Symbolum, et alii deinceps omnes eam ut Paulinam agnoscunt, et frequentissime citant. Philastrius vero in Catalogo hæresum, inter hæreticos numerare non dubitavit, qui eam epistolam vel rejiciunt, vel Pauli esse negant. Non autem debet duorum aut trium Latinorum dubitatio anteponi certissimæ confessioni omnium aliorum.

Sexto, videtur B. Petrus hujus epistolæ mentionem facere; Petrus enim priorem epistolam scripsit ad Hebræos inter Gentes dispersos, ut patet ex titulo, utque Œcumenius docet, et ipse etiam Erasmus ad initium Annotationum in hanc epistolam contendit: posteriorem ad eosdem scripsit, ut colligitur ex illis verbis cap. III. *Hanc vobis, carissimi, secundam scribo epistolam.* In eodem autem capite postea subjungit: *Sicut et carissimus frater noster Paulus scripsit vobis* (1). Scripsit igitur Paulus, Petro teste, epistolam aliquam ad Hebræos.

Postremo, epistola hæc Catholicorum om-

nium consensu, vel est Pauli, vel Lucae, vel Barnabæ, vel Clementis Romani, vel certe Tertulliani: sed Tertulliani esse non potest, cum Clemens Alexandrinus, qui aliquanto antiquior Tertulliano fuit, affirmet hanc epistolam esse Pauli, apud Eusebium lib. VI. histor. cap. 11. Quid, quod ipse Tertullianus hanc epistolam Barnabæ esse putavit, ut Hieronymus docet lib. de viris illust. in Paulo? Neque etiam esse potest Clementis Romani, cum ipse Clemens eam citaverit tanquam Apostoli Pauli in quadam sua epistola ad Corinthios, ut Eusebius refert lib. III. hist. cap. 38. ac demum cum in fine hujus epistolæ auctor dicat: « Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituri vobis. » Ista enim verba nullo modo Clementi convenire possunt, qui cum esset Episcopus Romanus, non in Judæa, sed Romæ habiturus erat. Ex quibus apparet, quam inepte Erasmus ad finem annotationum in hanc epistolam ejus auctorem Clementem facere conetur. Denique, nec Lucae, nec Barnabæ epistolam esse, nec alterius omnino quam Pauli, satis probant argumenta supra allata: sed quando etiam aut Lucae, aut Barnabæ esset, Apostolici viri esset, nec Apostolica auctoritate carere deberet.

At contra hanc epistolam quinque argumenta proferunt Magdeburgenses, quibus argumenta Lutheri et Erasmi simul complectuntur. Primum est, quia prudens Vestustas de hac epistola dubitavit. Respondeo: inepte dici Vestustatem de hac epistola dubitasse, cum unum solum Caium ex Græcis, et duos vel tres ex Latinis proferre possint, et nos contra tot Pontifices, tot Concilia, omnes Græcos, uno excepto, et omnes Latinos, tribus vel quatuor exceptis, pro nobilitudine agatur, antiquior est Clemens Romanus Caius, et Clemens Alexandrinus Tertulliano, et Dionysius Areopagita utroque, qui tamen hanc epistolam Pauli nomine citat in epistola ad Titum.

Secundum argumentum est, quia non habet adjectum initio nomen Pauli, ut habent omnes alie epistolæ: quamquam hoc argumentum fatentur ipsi ibidem non esse usque adeo grave. Respondeo cum Hieronymo Præfat. in epistol. Beati Pauli: si ideo non est Pauli, quia non habet præfixum nomen

Pauli; nullius esse, quia nullius habet nomen. Quid, quod epistola prima Joannis non habet ejus nomen præfixum, et tamen Joannis esse minime dubitatur? Et contra, Evangelia quædam Thomæ, Bartholomæi, Jacobi, Nicodemi nomen præferunt, et ab omnibus tamen nec immerito rejiciuntur.

Addo præterea, justis de causis nomen suum huic epistolæ Paulum non addidisse. Vel enim id fecit, ut ibidem Hieronymus docet, quia sciebat, nomen suum invisum Hebræis esse quamvis ad fidem jam conversis, propterea quod ipse præ cæteris Legem veterem esse abrogatam acerrime disputabat, cujus Legis illi adhuc æmulatores erant, Act. XXI. Vel, ut idem Hieronymus docet in cap. I. ad Galatas, quia in hac epist. ad Hebræos cap. III. dicturus erat, Christum esse Apostolum confessionis nostræ, noluit initio se more solito Paulum Apostolum nominare, ne videretur, se cum Christo aliqua ex parte conferre. Vel denique, ut Theodoretus Præfat. Commentar. in hanc epistolam docet, quia Paulus non erat Apostolus Hebræorum sed Gentium, ut ipse fatetur Galat. II., noluit more solito incipere Paulus Apostolus, sed nudam doctrinam exponere, non quasi Apostolus et Magister, sed ut amicus et socius. Quocirca in fine epistolæ ponit: *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solati, etenim per paucos scripsi vobis* etc. (1), quasi dicere velit: non agere feratis, si ego qui proprius Apostolus vester non sum, per litteras vos monere et cohortari volui. Id enim feci ut vos consolares, non ut imperarem. Has omnes rationes attingit Clemens Alexandrinus apud Euseb. lib. II. hist. cap. 11.

Tertium argumentum sumunt a diversitate styli, siquidem oratio hujus epistolæ longe gravior, copiosior, ornatio est, quam cæterarum. Neque satisfaceret qui responderet: hanc epistolam esse scriptam Hebraice, et Apostolum propria lingua melius loqui potuisse quam aliena, id est, Græca. Nam epistolam hanc non Hebraice scriptam esse, sed Græce patet, tum ex eo quod citantur in hac epistola testimonia secundum versionem LXX, tum etiam quia auctor epistolæ cap. VII. interpretatur nomen Hebraicum Melchisedech, id est, Rex justitiæ; et Rex Salem, id est, Rex pacis, quod non faceret si Hebraice loqueretur.

Respondent aliqui: hanc epistolam non Hebraice sed Græce primum esse scriptam, et quidem sententias Pauli esse, verba autem Lucae, aut Clementis, quo tanquam interprete et Scriba Paulus usus sit. Et ideo epistolam hanc esse magis ornatam quam cætera sint, quia sermo hujus epistolæ, non a Paulo ut cæterarum, sed ab alio magis disertio compositus sit. Ita Origenes apud Eusebium lib. VI. c. 48. Alii existimant, epistolam hanc Hebraice primum esse scriptam, ac deinde translata in Græcum sermonem a Luca, vel a Clemente. Ita respondet Eusebius lib. III. histor. cap. 30, et Clemens Alexandrinus apud Eusebium, lib. VI. cap. 11. Neque repugnat huic responsioni interpretatio: non enim Apostolus interpretatur Melchisedech nomen Hebraicum Græce, sed Hebraice, ut ex etymologia et vi nominis aliquid probet. Quemadmodum si Latine quis dicat homicidium, est hominis cædes: et Græce *Ἀποκτείνω*; est *ἄπορον θάνατον*. Ita Hebraice *עֲרֵךְ שָׂרֵךְ* est *עֲרֵךְ שָׂרֵךְ*: quanquam si interpretis addidisset interpretationem non esset absurdum; ut Exod. XII. *Est enim phase, id est, transitus Domini* (1), quæ interpretatio non habetur in Hebræo, et Matth. XXVII. *Eli, eli etc. id est, Deus meus, Deus meus, etc.* (2) Neque illud obstat de Scripturis citatis secundum versionem LXX: Apostolus enim si Hebraicum scripsit, ex Hebræo fonte testimonia protulit; tamen interpretis Græcus ea verba a Paulo citata ita vertere voluit, ut antea verterant illa eadem LXX, ne aliquid novi Græcorum auribus inferret. Neque id est novum; quam multa enim testimonia Hebræo sermone protulit idem Apostolus in concione, quam habuit in Synagoga Antiochena? et Lucas tamen ea omnia retulit Act. XIII. secundum versionem LXX. Ex his duabus solutionibus, tametsi utraque probabilis est, tamen prior cum simplicior, tum etiam expeditior esse videtur.

Quartum argumentum, quo maxime nituntur Magdeburgenses, ejusmodi est: Auctor hujus epistolæ cap. II. ponit se in numero eorum, qui ab Apostolis ad Fidem conversi sunt, dicit enim: *Quomodo nos effugiamus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audiverunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et virtutibus, etc.* (3)

At Paulus Galat. I. graviter affirmat, se non ab homine, nec per hominem, sed a Christo per revelationem didicisse Evangelium: non igitur Paulus hujus epistolæ auctor est.

Respondeo primum: B. Paulum hæc dicere, non dese, sed de hominibus sui temporis, quemadmodum Isaia cap. LXIV. in persona populi dicit: *Facti sumus ut immandus omnes nos, et quasi pannus menstruatoe inversæ justitiæ nostræ; non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te, etc.* (4), quo loco non loqui Isaiaem de scripso patet, quia ibidem longa oratione Deum invocat. Addo præterea, non esse absurdum si Paulus ponat se in numero eorum, qui ab Apostolis confirmati sunt; non enim hic agit de confirmatione per doctrinam, sed per miracula: ait enim, salutem, id est, salutis prædicationem confirmatam esse per Apostolos, contestante Deo signis et prodigiis: quis autem negare potest, Paulum quando conversus est, etsi Evangelium plenissime didicerit per revelationem, tamen confirmatum esse in Fide auditis miraculis Petri et aliorum Apostolorum, et præcipue eo miraculo, quo ipse per manus Ananiæ lumen oculorum recepit?

Quintum argumentum: auctor hujus epistolæ pugnat cum doctrina Domini; Dominus enim dicit, Matth. XI. *Venite ad me omnes* (5): hic autem excludit eos qui semel peccaverunt; sic enim loquitur. c. VI. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, rursus renovari ad penitentiam* (6). Et cap. X. affirmat, non relinquere hostiam pro peccato iis, qui voluntarie peccant post acceptam notificationem veritatis. Et cap. XII. Esau non invenisse locum penitentiae.

Respondeo: non magis hæc loca pugnare cum illo *Venite ad me omnes*, quam pugnent verba Domini, Matthæi XI, ubi dicit, Blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Apostolus enim non de quocumque peccatore loquitur, sed de eo qui peccat in Spiritum sanctum, id est, qui voluntarie oppugnat cognitionem et exploratam veritatem.

Porro dicuntur talia peccata irremissibilia tribus de causis. Primo, quia ut plurimum ejusmodi homines non convertuntur, nec ejusmodi peccata remittuntur, etsi absoluta contrarium potest accidere, et aliquando re-

(1) Exod. XI, 11. — (2) Math. XXVII, 46. — (3) Heb. II, 3. — (4) Isaï. LXIV, 6. — (5) Math. XI, 28. — (6) Hebr. VI, 4.

(1) Heb. XIII, 22.

ipsa accidit: sicut in morbis corporalibus, eos vocamus incurabiles qui ut plurimum non curantur, etsi quandoque curentur; et eos vocamus curabiles qui ut plurimum curantur, etsi quandoque non curentur. Secundo, quoniam qui in Spiritum sanctum peccant, directe resistunt gratiæ, qua sola curari possent, quemadmodum qui non potest sanari nisi sectione venæ, et nullo modo admittit hoc remedium, recte, medicus de eo pronuntiat, fieri non posse ut sanetur; nec tamen propterea negatur, quin possit aliquis sapientissimus medicus ægroto persuadere ut admittat venæ sectionem. Tertio, qui ex malitia peccat nihil habet in se unde remissionem mereatur, et propterea dicitur ejus peccatum irremissibile, quamvis absolute remitti possit. Qui autem peccat ex ignorantia vel infirmitate, aliquid habet unde misericordiam Dei provocet, juxta illud Apostoli I. Timoth. I. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (1).

Atque hæc quidem responsio satis esse videtur ad eam tollendam difficultatem, quæ ex prioribus locis oriebatur. Potest etiam alia adhiberi. Nam priorem locum qui habetur Hebr. VI. exponunt multi ac ferme omnes, ut Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Anselmus, Sedulius et alii in hunc locum, necnon Augustinus in fine exposit. inchoate in epist. ad Roman., de renovatione ad penitentiam quæ sit in Baptismo, non ad eam quæ sit in reconciliatione post Baptismum. Nam quod de Baptismo loquitur hic B. Paulus, satis indicant verba illa: *Non rursus jacientes fundamentum Penitentiae, Fidei, Baptismatum etc.* et illa: *Eos qui semel sunt illuminati* (2). Nam apud Dionysium cap. II. *Eclesiast. hierarch.* et alios Veteres, Baptismus dicitur illuminatio, quia est Sacramentum Fidei. Et illa: *Rursus renovari*: nam ut Augustinus loco citato docet, per Baptismum proprie renovamur, per reconciliationem curamur. Denique illa: *Iterum crucifigentes Filium Dei*: nam in Baptismo representamus Christi mortem, et sepulturam, ut dicitur Roman. VII. et sicut semel tantum Christus mortuus est, ita et nos semel tantum baptizari possumus. Beatus Paulus igitur adversus Fidei desertores disputat ac docet, neminem sperare debere, se post

(1) I. Tim. I. 13. — (2) Hebr. VI. 1. et 6. — (3) Hebr. I. 5.

Baptismum in Ecclesia susceptum alibi posse jacere aliud fundamentum, et invenire aliud Baptisma: nam id impossibile est, cum unum sit tantum verum Baptisma, et illud repeti non possit. Eundem sensum habet secundus locus. Vere enim *voluntarie peccantibus*, id est, recedentibus a jam cognita et suscepta Fidei veritate, non *relinquatur hostia pro peccato*; non quia non est locus penitentiae, sed quia nulla est vere efficax hostia nisi mors Christi, quam illi apostasia sua contemnunt. Nec enim alius Christus inveniri potest, nec alius Baptismus, in quo mors ejus representetur.

Ad illud, ex capite XII, dico: *Esau duobus modis non invenisse locum penitentiae*: uno modo apud patrem suum, quia res perita erat irrecuperabilis; altero modo apud Deum, quia non recte penitentiam egit, ut Chrysostomus hunc locum exponit. Apostolus igitur deterere volens homines a lapsu, proponit incertum exitum penitentiae. Ut enim Esau non potuit recuperare hereditatem, quia erat irrecuperabilis, ita peccator non potest recuperare innocentiam, virginitatem, et similia: et quemadmodum Esau non recte penitentiam egit, quamvis fleverit, et ideo Deum non placavit, ita sepe peccatores penitentiam agere videntur, et tamen Deum non placent, quia non agunt penitentiam ut oportet.

Argumentum sextum est Cajetani in commentario hujus epistolæ. Auctor hujus epistolæ probat cap. I. Christum esse Filium Dei ex illis verbis libro II Reg. cap. VII. *Ego ero illi in Patrem* (3): et hæc verba intelliguntur ad litteram de Salomone, et solum ex litterali sensu sumuntur argumenta firma; igitur vel iste auctor non est Paulus, vel Paulus non solide argumentatur.

Respondeo: similiter argumentari Apostolum Roman. X, et I. Corinth. IX, nec tamen posse dici, aut non esse Pauli eas epistolæ, aut Paulum non solide argumentari. Argumentum igitur Apostoli ideo fortissimum est, quoniam illi ad quos scribit admittebant, Salomonem typum Christi gessisse, nec poterant hoc negare, ut B. Augustinus probat libro *De unit. Ecclesie* cap. VIII. Nam et II Reg. VII. et Ps. LXXI. dicuntur nulla de Salomone, quæ ei non conveniant nisi ut figura erat Christi. Ut illud: *Stabilium thronum regni ejus usque in sempiternum*. Et illud:

Dominabitur a mari usque ad mare: et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient et, etc. (1).

Argumentum septimum ejusdem Cajetani est. Ad Hebr. IX. dicit auctor, fuisse in Arca urnam habentem manna, et virgam Aaron quæ fronderat, et tabulas Legis: sed lib. III Reg. cap. VIII. solæ tabulæ referuntur fuisse in Arca; igitur aut mentitur Paulus, aut hujus epistolæ auctor non est Paulus.

Respondeo: tempore Salomonis non fuisse in Arca aliud quam tabulas Legis, ut dicitur III Reg. VIII., tamen postea a Judeis positas intra Arcam etiam urnam et virgam; id quod Paulus ex traditione scire potuit. Ita solvit Theophylactus, qui etiam monet, Hebræos sui temporis id sensisse. Adde quod auctor libri Regum cum dicit: *In Arca autem nihil erat aliud nisi duæ tabulæ* (2), videtur innuere, suo tempore fuisse aliquid aliud, quod non erat tempore Salomonis: videtur enim dicere voluisse, etsi nunc alia quedam sint in Arca præter tabulas Legis; tamen quo tempore Arca in Templum a Salomone adducta est, nihil in ea erat præter duas tabulas. Quid si etiam, ut quidam volunt, urna et virga in parte aliqua exteriori Arcæ, non intra ipsam Arcam fuerint?

Argumentum postremum Erasmi et Cajetani est. Auctor hujus epistolæ cap. IX. loquens de Testamento proprie dicto, quod morte testatoris confirmatur, allegat verba Exod. XXIV: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum* (3); atqui in Exodo secundum Hebraicam veritatem nulla fit mentio Testamenti, sed pacti; illa enim verba Exod. XXIV, *הַיְהוָה לֵב לְבַל הַבְרִיתִים הָאֵלֶּה עָשָׂה לְפָנָיו אֶשֶׁר לִפְנֵי הַיְהוָה* non habent alium sensum quam istum: *Eccæ sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus verbis istis*; igitur aut Paulus non tenebat Hebraicam linguam, aut hujus epistolæ auctor non est Paulus.

Respondeo: vel est quæstio de re, vel de nomine; si de nomine, injuste Erasmus hunc auctorem accusat; nam non solum iste auctor, sed etiam LXX. Interpretes vocem בְרִית perpetuo vertunt *diabitus*, id est, *Testamentum*, ut patet ex Psalmis quos ex versione LXX habemus, et Hieronymo in c. II. Malachie, ubi affirmat LXX, semper fere vertisse Testamentum. Et Apostolus Paulus Roman. IX, Galat. III et IV, et alibi

loquens de Lege veteri, semper Testamentum vocat id quod Hebræi dicunt בְרִית; immo adeo trita est in Ecclesia hæc vox Testamentum pro Hebraica בְרִית, ut nihil frequentius dicamus, vel audiamus, quam Testamentum vetus et Testamentum novum.

Si autem non de nomine, sed de re quæstio est, quasi auctor hujus epistolæ ad Testamentum proprie dictum detorsit hunc locum Exodi, in quo agitur de fœdere, respondendum est: promissionem vitæ æternæ, de qua per figuram in Testamento veteri, et aperte in novo agitur, esse simul Testamentum et pactum: Testamentum, quia continet dispositionem de hereditate æterna danda filiis Dei, quæ non fuit rata ante mortem testatoris; testamentum enim est dispositio de hereditate, quæ non prius rata est quam testator moriatur: est autem simul pactum illa Dei promissio, quia habet annexam conditionem; non enim vult testator Deus dare hereditatem æternam nisi iis qui leges suas observaverint, et hæc ratio dicitur fœdus et pactum. Jam ergo de eadem re loquitur Moyses Exod. XXIV. et Paulus Hebr. IX. et Moyses quidem vocat pactum, sed intelligit non quodcumque pactum, sed pactum de danda hereditate post mortem testatoris, et propterea sanguinem aspersit in populum, qui figura est sanguinis Christi pro nobis effundendi: Paulus autem vocat Testamentum, sed intelligit de testamento non qualicumque, sed conditionato, id est, quod simul sit pactum.

CAPUT XVIII.

De epistola Jacobi, Judæ, secunda Petri, secunda et tertia Joannis.

De his epistolis quosdam olim dubitasse an vera apostolicæ essent, testis est Eusebius lib. III. histor. cap. 25. et B. Hieronymus lib. de viris illustribus, in Jacobo, Juda, Petro et Joanne. Ex recentioribus Lutherus in Prologis harum epistolarum, Brentius, Kemnitius, et Centuriatores locis notatis capite superiore, epistolam Jacobi et Judæ penitus contemnunt; de reliquis dubii hæ-

(1) II. Reg. VII. 13. — (2) Ps. LXXI. 8. — (3) III. Reg. VIII. 3. — (4) Exod. XXIV. 8.

rent : quamquam Lutherus in Prologo epistolæ ad Hebræos posteriorem Petri epistolam inter canonicas ponit. Erasmus in annotationibus ad has epistolas, epistolam Jacobi affirmat non redolere apostolicam gravitatem ; de secunda Petri dubitat ; de secunda et tertia Joannis asserit, eas non esse Joannis Apostoli, sed cujusdam alterius ; de epistola Judæ nihil dicit. Cajetanus de auctoribus epistolæ Jacobi, Judæ, et secunda ac tertia Joannis dubitat, et propterea etiam eas minoris auctoritatis vult esse, quam cæteras. Porro Calvinus omnes recipit, et Calvinista in illa confessione Pissiacensi art. 3.

Nobis jam non licet aliud sentire, quam esse has epistolas apostolicas et divinas. Probatur primo de omnibus simul ; quoniam ponuntur in catalogo nomine Apostolorum Petri, Jacobi, Joannis, et Judæ a Concilio Laodicensi, Carthaginensi III, Florentino et Tridentino supra citatis ; item ab Innocentio I, ad Exuperium epist. 3. et Gelasio in Concilio 70. Episcoporum. Præterea ab Origine hom. 7. in Josue, Epiphano hæres. 76. Athanasio in Synopsi, Hieronymo in epistol. ad Paulinum de studio Scripturarum, Augustino lib. II, de Doctr. Christ. cap. 8. Rufino in Exposit. Symboli, Isidoro lib. VI, Etymolog. cap. 4. Damasceno lib. IV, cap. 18. Deinde de singulis seorsim. Nam epistolam Jacobi adfert ad probandum dogma Ecclesiasticum Concilium Milevitanum can. 7. eandem citat Dionysius de divin. nom. cap. 4., Cyprianus in lib. ad Novatianum, Augustinus in epist. 29. ad Hieronym. et alii passim. Legitur quoque frequenter in Ecclesia nomine Jacobi Apostoli.

Epistola secunda Petri citatur nomine Petri ab Higinio epist. 2. a S. Gregorio hom. 18. in Ezechielem, et ab aliis passim. Legitur in Ecclesia in festo Transfigurationis. Præterea vel oportet confiteri, hanc epistolam esse Petri, vel contineri intolerabilem errorem, quod nullus hæcienus dicere ausus est. Nam cap. II, auctor dicit : *Hanc vocamus audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto* (1), etc. at certe in monte sancto cum Dominus transfiguratus est, soli cum Domino fuerunt, Petrus, Jacobus, et Joannes, ut Evangelium loquitur, Matth. XVII. Igitur epistolæ hujus auctor, aut insignis aliquis impostor fuit, aut est unus e tribus Apostolis Christi primariis. Et quamvis parum re-

(1) II. Petr. I, 18.

ferat, cujus sit e tribus quantum attinet ad auctoritatem, tamen satis constat non esse Jacobi, aut Joannis ; tum quia nemo huc unquam dixit ; tum etiam quoniam auctor aperte initio epistolæ vocat se Simonem Petrum Apostolum Jesu Christi. Quo argumento persuasus Beda, in Commentario ad hanc epistolam miratur, qua ratione dubitari poterit de auctore hujus epistolæ.

Epistola Judæ citatur ut Judæ Apostoli a Dionysio de divin. nom. cap. 4. Tertulliano lib. de habitu muliebri, a Cypriano in lib. ad Novatianum, et a posterioribus frequentissime. Eadem quoque testimonium habet ab Origene lib. V. in cap. V ad Rom. ab Epiphano hæresi 76. et a Hieronymo in cap. 4. ad Titum, et in Catalogo Script.

Epistola secunda Joannis citatur a Cypriano in lib. II, sententiarum Concilii Carthaginensis circa finem.

Epistola tertia ejusdem citatur a Dionysio Coelest. hierarch. cap. 3.

At contra non desunt argumenta. Ac Primum quidem Erasmi est contra epistolam Jacobi. Hæc epistola si est illius Jacobi, illius certe erit, qui fuit primus Episcopus Hierosolymorum, et de quo tam multa dicuntur in Actis Apostolorum, et epistola ad Galat. ubi dicit, graviter errare eos qui dicunt, Jacobum istum esse unum ex duodecim.

Respondeo : argumentum hoc Erasmi manifesto mendacio innitit. Hieronymus enim non dicit errare eos qui sentiunt, hunc Jacobum esse unum ex duodecim, sed eos qui dicunt, hunc Jacobum esse fratrem Joannis, et quem Herodes capite plecti jussit. Esse autem hunc nostrum Jacobum unam ex duodecim idem Hieronymus docet, et probat in libro advers. Helvidium his verbis : « Nulli dubium est, duos fuisse Apostolos Jacobi vocabulo nuncupatos : Jacobum Zebedæi, et Jacobum Alphaei : istum nescio quem minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec tamen matris Domini Scriptura commemorat, Apostolum vis esse, an non ? Si Apostolus est, Alphaei filius erit : si non Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus, quomodo est frater Domini putandus ? et quomodo tertius ad distinctionem majoris appellabitur minor ? cum major et minor non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam ; et frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente, alium

Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. » Præterea hoc idem multis rationibus probari posset : sed quia nec est necessarium hoc loco, et ego brevitati studio, hoc solum dicam : Si non est Jacobus hic noster unus ex numero duodecim Apostolorum, unius Apostoli ex duodecim nullam fieri memoriam in Ecclesia ; constat enim ex Evangelio Matth. X. duos fuisse Jacobos inter duodecim : Jacobum Zebedæi et Jacobum Alphaei : in Ecclesia autem non sit memoria nisi Jacobi fratris Joannis die 25 Julii, et hujus Jacobi qui scripsit hanc epistolam, et fuit Episcopus primus Hierosolymæ die 1. Maii ; si ergo iste non est ille Jacobus Alphaei, sequitur, illius nullam prorsus fieri memoriam, quod certe est absurdissimum.

Argumentum secundum. Auctor hujus epistolæ non utitur solita Apostolorum salutatione, sed profano more tantum dicit : *Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribus, quæ sunt in dispersione, salutem* (1) ; ergo non est verisimile eam esse Jacobi. Respondeo ad hoc argumentum, quod est Cajetani in hunc locum : Si ista profana salutatione censenda est, illam esse habendam magis profanam, quæ habetur Act. XV. *Apostoli et seniores fratres his qui sunt Antiochie, Syria, et Cilicie fratribus ex Gentibus, salutem* (2) atqui nullus Catholicus hanc salutationem ut profanam reprehendere audeat ; igitur neque illam Jacobi ullus ut profanam reprehendere debet.

Argumentum tertium contra eandem epistolam Magdeburgensium, centur. 1. lib. II. cap. 4. col. 54. quemadmodum et cætera quæ sequuntur. Eusebius affirmat lib. II. histor. cap. XXIII, hanc epistolam, et illam Judæ esse adulterinas ; igitur non sunt firmæ auctoritatis. Respondeo : mendacium esse hoc, non argumentum ; hæc enim sunt Eusebii verba loco citato ab adversariis : « Sciendum, inquit, est, quod a nonnullis non recipiantur. » Et addit : « Nos tamen scimus, etiam istas cum cæteris ab omnibus pene Ecclesiis recipi. »

Argumentum quartum. Hæc epistola multum aberrat ab analogia doctrinæ apostolicæ. Nam c. II, justificationem non Fidei soli, sed operibus adscribit, cum Paulus Roman. III, dicat, hominem justificari ex Fide sine operibus. Respondeo : hoc argu-

mento confiteri Lutheranos, se esse filios veterum filorum hæreticorum contra quos epistola ista scripta fuit. Audi enim, quid Augustinus scribat libro de Fide et Operibus cap. 14. « Quomobrem, inquit, jam illud videamus, quod exentiendum est a cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere Fidem putaverint, bone autem vivere, et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam subobscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere, etc. » Et infra. « Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, alie apostolicæ epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, Fidem sine operibus non prodesse : sicut etiam ipse Paulus non quælibet fidem qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque Evangelicam definiit, cujus opera ex dilectione procedunt. »

Ad argumentum autem respondemus cum Augustino Præfat. in Psal. XXXI, Apostolos non pugnare inter se : nam Paulus loquitur de prima justificatione qua homo fit justus ex injusto, et nomine operum intelligit opera quæ fiunt sine Fide et gratia solis viribus liberi arbitrii : Jacobus autem loquitur de secunda justificatione, qua quis ex justo fit justior ; juxta illud Apocalypsis ult. : *Qui justus est, justificetur adhuc* (3) ; et nomine operum intelligit opera, quæ fiunt cum Fide et auxilio gratiæ Dei. Quemadmodum enim non potest homo seipsum procreare, vel a mortuis excitare ; tamen postquam natus est potest seipsum opere suo alere et augere : ita peccator non potest seipsum justum facere ; tamen potest, cum justus est, operibus suis augere justitiam. Sed de hac questione suo loco plenius disputabitur.

Argumentum quintum. Hæc epistola multa est de opere Christi, et doctrina Fidei, et solum de operibus conionatur : solent vero Apostoli semper aliquid interserere de Fidei doctrina ; non igitur Apostolica hæc epistola est. Respondeo : Apostolum Jacobum de industria totum esse in operibus commendandis, ut ex Augustino supra demonstravimus, propterea quod Fidei doctrinam satis explicuerant Evangelistæ et Paulus ; et ii adversus quos ipse scribit, doctrinam Fidei nimis extollebant, et bona opera negligebant. Adde

(1) Jud. I, 1. — (2) Act. XV, 23. — (3) Apoc. XXII, 11.

præterea, si ideo hæc epistola adulterina iudicanda est, quia tota fere consumitur in operibus bonis commendandis; Proverbia quoque, et Ecclesiasten Salomonis adulterinos libros existimari debere, cum nihil in iis, præter conciones de moribus legatur, vel si Proverbia et Ecclesiastes inter sacros libros habendi sunt, adversariis etiam consentientibus, nulla certe causa est, cur Jacobi epistolam libris illis persimilem rejiciamus.

Argumentum sextum. Iste auctor c. I et II, vocat legem libertatis Legem Testamenti veteris: at eam vocat Legem servitutis Apostolus Paulus, Galat. IV, non igitur utraque epistola Apostolica esse potest: constat autem epistolam ad Galatas Apostolicam esse; igitur quæ fertur nomine Jacobi, non Apostolica, sed Apostolicæ contraria est.

Respondeo: Jacobum non loqui de Lege veteri sed de nova, cum eam Legem libertatis appellat. Sed ideo illis visus est Jacobus loqui de Lege veteri, quia mentionem facit Decalogi præceptorum, et ipsi somniant Legem novam non continere ulla præcepta, sed solas promissiones gratiæ Fideique prædicationem. At sine ulla dubitatione falluntur. Siquidem præcepta Decalogi non minus ad Christianos quam ad Hebræos pertinent, ut ex V. cap. Matthæi aliisque locis colligitur: sed hoc interest inter novum et vetus Testamentum, quod vetus leges adferbat, non autem vires ad eas leges implendas suppeditebat: proinde Lex timoris ac servitutis, et dicebatur, et erat. Testamentum vero novum una cum legibus gratiam præbet, qua homines adjuvi, facile, libere, ac libenter implent ipsa præcepta, et propterea dicuntur Christiani non esse sub Lege, et iustus dicitur Lex non esse posita, non quod eam servare non debeant, sed quia Lex eos non premit aut gravat, cum eam libentissime liberrimeque servant.

Sed Augustinum hæc ipsa docentem audiamus, libro De nat. et gratia cap. 37. « Si spiritu ducimini, inquit, non adhuc estis sub Lege, utique Lege quæ timorem incutit, non tribuit charitatem, quæ charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per Legis litteram, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc est Lex libertatis, non servitutis, quia charitatis, non timoris; de qua et Jacobus Apostolus ait: Qui autem perspexerit in legem perfectæ libertatis etc. » Et cap. VI. ad Galatas: « Eadem, inquit, Scriptura, et idem mandatum cum bonis terrenis inhiantibus

premit servos, Testamentum vetus, cum in bona æterna flagrantis erigitur liberis, Testamentum novum vocatur. » Et libro De continentia c. 3. « Non sumus sub Lege, bonum quidem iubente non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id quod Lex iubet faciens nos amare, potest liberis imperare. »

Argumentum septimum. Auctor hujus epistolæ testimonia profert ex epistolis Petri et Pauli; non igitur ipse Apostolus, sed aliquis ex Apostolorum discipulis fuit. Respondeo: non citari in hac epistola ulla loca Petri vel Pauli; sed inde adversarios esse deceptos, quod viderint ad marginem libri e regione verborum Jacobi loca quædam Petri et Pauli annotari. At etiam in marginibus epistolæ Pauli notari videmus loca quædam ex epistolis Petri, et aliorum Apostolorum; et ad marginem prioris epistolæ Petri et primæ Joannis annotantur plurima loca Pauli: nec tamen epistolæ istæ Petri, Pauli, Joannis in dubium revocantur. Nec enim ejusmodi annotationes significant unum Apostolum ab alio citari, sed similes sententias in Apostolis inveniri, quod Spiritus sanctus ideo fecit, ut ostenderet, se unum atque eundem eorum omnium auctorem esse. Quod idem videmus etiam in Prophetis: Isaias enim et Michæas uno atque eodem vixerunt tempore, cum uterque initio sui libri se scripsisse commemoret in diebus Joathan, et Achaz, et Ezechia Regum Juda, et tamen invenimus Isaiæ II. et Michææ IV. insignem prophetiam de Christo, non modo sententiis, sed etiam verbis eisdem descriptam.

Argumentum octavum. Epistolæ hujus auctor non se vocat Apostolum Christi, ut Paulus facit; non igitur credibile est, eum Apostolum esse, sed discipulum aliquem inferioris notæ.

Respondeo: si ejusmodi ratiunculis fides habenda esset; non solum epistolam Jacobi, sed etiam aliquot alias Pauli et Joannis rejiciendas fore. Siquidem Paulus in epistola ad Philippenses, in utraque ad Thessalonicenses, et ad Philemonem, non vocat se Christi Apostolum, sed aut servum, ut facit Jacobus, aut nihil addit: Joannes quoque nec in epistolis, nec in Apocalypsi Apostolum se nominat.

Contra epistolam Judæ proferunt fidem Magdeburgenses argumenta quatuor. Primum, quia non se vocat Apostolum, sed hoc jam est solutum.

Secundum, quia Judas asserit, se post

Apostolos vixisse, cum ait: *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores etc.* (1) citans aperte quædam ex secunda epistola Petri. Respondeo: Judam simul cum Apostolis vixisse, sed tamen posterius epistolam scripsisse quam Petrum et Paulum, et ideo merito potuisse eorum epistolam citare: quemadmodum etiam Petrus in secunda epistola mentionem facit epistolæ Pauli, cum tamen et simul vixerint, et eadem die sint coronati.

Argumentum tertium. Judas non in Græcia, sed in Perside prædicavit; igitur si quid scripsisset, non Græce sed Persice scripsisset. Respondeo: Judam, etsi in Perside prædicaverit, tamen non ad Persas, sed ad Judæos per orbem terræ dispersos epistolam suam scripsisse, ad quos etiam Petrus et Jacobus scriperant. Merito proinde scribere voluisse lingua Græca, quæ tunc communissima erat. Præterea quis non videt, quam ineptum argumentum sit: Judas in Perside prædicavit; igitur lingua Persica scribere debuit? Si quid enim valeret ejusmodi argumentum, pari ratione colligeremus, Petrum qui Romæ docuit, et ex eadem urbe duas epistolæ scripsit, Latine non Græce scribere debuisset; et Matthæum qui prædicavit in Æthiopia, oportuisse Æthiopica lingua scribere Evangelium: Paulum quoque qui in Italia prædicabat, cum scriberet ad Timotheum, ad Philemonem et ad Hebræos, debuisset Latine scribere, non Græce vel Hebraice.

Argumentum quartum. Judas refert historiam altercationis inter Michaëlem Archangelum et Diabolum de Moysis corpore, et vaticinium quoddam Henoch: at nihil horum legitur in probatis Scripturis; igitur epistola hæc inter apocryphas numeranda est. Respondeo: quamvis Tertullianus lib. de hab. mulieb. contendat, librum Henoch esse canonicum, et Beda in hanc epistolam dicit, tempore Judæ librum Henoch verum et canonicum in manibus hominum fuisse etsi modo non extet; tamen probabilius videtur, librum esse apocryphum. Cæterum, ut Hieronymus in cap. I ad Titum, et Augustinus lib. XV de Civitate Dei cap. 23. et lib. XVIII, cap. 38. dicunt, etiam in apocryphis

esse aliquid veri, et hoc Judam protulisse, nec tamen propterea totum librum approbasse: sicut etiam Paulus Aetor. XVII, I Corinth. XV. et ad Titum I. profert testimonia ex ethnicis Poetis, Aratro, Menandro et Epimenide: nec tamen idcirco Poetas illos consecravit.

At Judas, inquit Cajetanus, librum Henoch non ut apocryphum, sed ut propheticum citat. Respondeo cum Augustino lib. XV. de Civit. Dei cap. 23. sine dubio credendum esse, Henoch aliquid prophetici et divini scripsisse, et ejus vaticinium insertum fuisse in eo libro, quem Judas citat, sed eum librum propterea apocryphum esse, quod multa incerta et fabulosa contineat simul cum hoc vero vaticinio quod Judas citat.

Contra secundam Petri solum objicit diversitas styli a prima, quam constat certo esse Petri; quæ obiectio Erasmi est, a quo non parum dissentiant Magdeburgenses, quippe qui scribunt, sibi videri valde similem styli hujus epistolæ, stylo epistolæ prioris. Respondet Beatus Hieronymus questio XI, ad Hedibiam, styli diversitatem, si quæ sit, natam ex interpretis diversitate; nec enim Petrum semper uno atque eodem interprete usum esse.

Contra secundam et tertiam Joannis solam objiciunt auctoritatem Papiæ apud Eusebium, libro III histor. cap. 39. et Hieronymum de viris illustribus in Joanne. Tradidit enim Papias, duos fuisse Joannes, unum Apostolum, et alterum qui senior dicebatur; et quoniam auctor harum epistolæ, non Apostolum, sed seniorem se nominat, veri simile esse videtur, duas has brevissimas epistolæ a Joanne seniore, non ab Apostolo Joanne scriptas esse. At hæc levior conjectura est, quam ut opponi debeat, ne dicam præponi tot Conciliorum, Pontificum et Patrum auctoritati, qui has epistolæ Joanni Apostolo tribuunt; præsertim cum nec Papias dixerit, has epistolæ non esse Joannis Apostoli (solum enim ille duos Joannes nominat: uter autem epistolæ scripserit, tacet) et Joannes Apostolus merito senior dici potuerit, quod post omnes Apostolos vixerit, et ad extremam usque pervenit senectutem. Porro Sanctus Hieronymus de his epistolis adeo non dubitavit; ut eas citaturas in epistola 88. ad Evagrium, ita cœperit:

(1) Jud. 17. et 18.

« Clangat tuba Evangelica, filius tonitru, quem Jesus amavit plurimum, qui e pectore Salvatoris doctrinarum fluentia potavit. »

CAPUT XIX.

De Apocalypsi.

Apocalypsim Joannis, ex antiquis hæreticis, Marcionistæ respuebant, teste Tertulliano libro quarto contra Marcionem, necnon Alogiani et Theodotiani, teste Epiphaniò hæresi 51 et 54. Ex novis, Lutherus in Prologo dicit, se aliquid in ea desiderare, cum Apocalypsis asserat fore beatos, qui servant ea quæ in ipsa scripta sunt, cum tamen nemo intelligat quæ illa sint. In præfatione vero antiquiore Testamenti novi ait, se Apocalypsim neque pro Prophetico, neque pro Apostolico libro recipere, sed similem iudicare libro Esdræ. Brentius et Kemnitus locis notatis Luthero subscribunt; Magdeburgenses autem cent. I, lib. II, cap. 4. col. 56. a Luthero deficiunt ad Calvinum, et cum eo acriter pugnant pro Apocalypsi adversus alios Lutheranos. Erasmus in fine annotationum in Apocalypsim varias conjecturas anxie quærit, unde probet hunc librum non esse Joannis Apostoli.

Nec defuerunt olim Catholici, qui de hujus libri auctoritate vel auctore dubitarent. Nam Caius quidam vetustus auctor hunc librum Cerinthi hæretici esse affirmat, teste Eusebio lib. III. hist. cap. 28. Dionysius vero Alexandrinus apud Eusebium lib. VII, cap. 23. hanc opinionem Caii refellens, librum divinum et canonicum esse asserit; tamen subdubitan sine Joannis Apostoli, an alterius Joannis. Denique B. Hieronymus in epistola ad Dardanum testatur, ita Græcos de Apocalypsi dubitasse contra communem consensum Latinorum, quemadmodum Latini de epistola ad Hebræos contra communem Græcorum sententiam dubitabant.

Verumtamen Apocalypsim, tum Joannis Apostoli verum esse factum, tum librum admirabilem ac divinissimum esse, facile probare possumus. Primum ex Conciliis: nam in Ancyrano Concilio ante 1200 annos, can. ult., citatur nomine Joannis; in Carthaginiensi III. can. 47. et in Concilio Romano

sub Gelasio I, inter sacros et canonicos libros annumeratur: item in Concilio Toletano IV, can. 16. multorum Conciliorum et Pontificum sanctionibus confirmatur, Apocalypsim esse Joannis Apostoli et vere canonicam et divinam.

Deinde ex Patribus Græcis et Latinis id ipsum comprobari potest. Nam Dionysius cap. 3. Eccles. hierarch. vocat Apocalypsim arcanam et mysticam visionem dilecti discipuli, Justinus in Dialogo cum Triphone ultra medium, Apocalypsim dicit esse Joannis Apostoli, et eandem commentariis illustravit, ut B. Hieronymus testatur libro De viris illustribus, in Joanne. Irenæus lib. V. circa finem asserit, Apocalypsim esse Joannis Apostoli, et scriptam pene suo sæculo ad finem imperii Domitiani: in eandem quoque commentaria edidit, auctore Hieronymo de viris illustribus, in Joanne. Theophilus Antiochenus, Melito Sardensis, et Dionysius Alexandrinus Episcopi Græci antiquissimi et doctissimi, Apocalypsim ut divinitus scriptam receperunt, teste Eusebio lib. IV, cap. 24 et 26, et lib. VII, cap. 23. Clemens Alexandrinus lib. II, Pædagog. cap. 12. Apocalypsim citat. Origenes homil. 7. in Josue, et in Psalmum primum, Apocalypsim Joanni Apostolo tribuit, quod etiam facit Eusebius in Chronico anni Domini 96. Athanasius in Synopsi, Epiphanius hæresi 51 et 76. Chrysostomus homil. 3. in Psal. 91. et Damascenus libro IV, cap. 48. Apocalypsim ut sacram, et Joannis agnoscunt. Quocirca Græcos qui, Hieronymo teste, Apocalypsim non recipiebant, et paucos et obscuros fuisse necesse est.

Probatur ultimo ex communi Latinorum consensu: nam Tertullianus lib. IV. *Contra Marcionem*, Apocalypsim Joannis Apostoli esse affirmat. Cyprianus de *exhortat. martyrii*, cap. 3. 8. 10. 11. et 12. Apocalypsim ut reliquas divinas Scripturas passim citat; quod etiam facit Hilarius præfat. in Psalm. Ambrosius in Psal. 40. Apocalypsim Joannis Evangelistæ esse dicit. B. Augustinus tract. 36. in Joannem dicit, Apocalypsim ejusdem esse Joannis cujus est Evangelium, et libr. II. *Doctr. Christ.* cap. 8. inter sacros et divinos libros eam refert, quod etiam facit Innocentius I. in epist. 3. ad Exuperium; Rufinus in *Exposit. Symb.*; et Isidorus lib. VI. *Etymolog.* cap. 1. Sanctus Hieronymus non solum in epistola ad Paulinum de studio Scripturarum, Apocalypsim

Joannis esse docet, sed eandem sententiam esse omnium Latinorum affirmat in epist. ad Dardanum de terra promiss. Denique Sulpicius lib. II. sac. hist., ait, Apocalypsim a nonnullis aut stulte, aut impie non recipi.

Ad argumentum autem Lutheri, qui inde probat Apocalypsim non esse paris auctoritatis cum cæteris libris sacris, quia capite primo et ultimo hujus libri dicitur: *Beatus qui servat verba prophetiæ hujus* (1), cum tamen nemo sciat quid sibi velit hæc prophetia. Respondeo: etsi permulta sint obscurissima vaticinia in hoc libro, tamen permulta etiam esse præcepta vitæ clarissima, ut de constantia in persecutionibus, de hæreticis odio habendis, de Pseudopropheta fugiendis etc. et argumentum et scopus totius libri non aliud est, quam ut nos hortetur ad perseverantiam et patientiam tempore persecutionum. Quæ quidem res clarissima et apertissima est.

Sed videamus, quid etiam adferat Erasmus. Is objicit. Primo quosdam auctores qui hujus libri non meminerunt, ut Dorotheum et Anastasium et quosdam qui dubitarunt, an esset Joannis Apostoli, ut Dionysium et Eusebium. Secundo, quod passim nomen suum inculcat dicens: « Ego Joannes, ego Joannes: perinde, inquit, quasi syngraphum scriberet non librum, cum alloqui Joannes modestiora de se narrans nomen suum nusquam exprimat in Evangelio. » Postremo, quod in Græcis codicibus titulus non sit Joannis Apostoli, sed Joannis Theologi.

Sed hæc levissima sunt. Nam pro duobus qui hujus libri non meminerunt, et duobus qui de auctore subdubitarunt, nos citavimus quatuor Concilia et plurimos Patres, qui constanter hunc librum Joanni Apostolo tribuunt. Quamquam Eusebius, quem Erasmus inter dubitantes numerat, aperte in Chronico declarat se nihil omnino de hujus libri auctore, vel auctoritate dubitasse. In secunda objectione modestiam Erasmi merito desideramus, qui arrogantie accusare audeat auctorem hujus libri, quem tota Ecclesia ut sacrosanctum semper venerata est. Nec est verum illud *Ego Joannes* in hoc libro tam sæpe repeti, cum ad summum ter in toto libro inveniatur. Neque vero est novum in Prophetis, ut sæpe nomen suum repetant,

certe Daniel ut minimum octies ait *Ego Daniel*. Denique nihil officit nostræ sententiæ, quod auctor Apocalypsis Joannes Theologus appelletur. Nullus enim est alius Joannes, qui cognomen Theologi haberit, præter Apostolum et Evangelistam Joannem, et merito: nam, ut Augustinus notat tractac. 36. in Joannem, ideo Joannes volanti aquilæ comparatur, alii vero Evangelistæ animalibus in terra gradientibus, quod cæteri de humanitate Christi, ipse de divinitate præcipue scripserit. Quare Dionysius Areopagita in epist. ad Joann. Apostol. cum Theologum et Apostolum salutet: et Athanasius in Synopsi alique veteres Theologum illum vocant.

CAPUT XX.

De libris Apocryphis.

Sacrorum librorum canone explicato, ac pro instituti operis brevitate ab adversariorum argumentis defenso, restat ut de libris istis pauca dicamus qui tametsi nonnullis canonicis visi sint, tamen jure ac merito, non canonici, sed apocryphi nominantur.

Igitur vox *Apocryphus* Græca est, et rem occultam ac reconditam significat; siquidem *ἀποκρύφω* celare est, *ἀποκρύφω* latibulum. Porro ecclesiastici Scriptores non semper eodem modo hanc vocem usurpant. Interdum enim vocant Scripturas apocryphas eas, quas non est certum an sint canonicæ et divine, etiam si satis constet nullas in eis errores inveniri. Sic Hieronymus in prolog. Galeato vult, eos omnes libros qui non sunt in canone, esse inter apocryphos numerandos. Interdum autem vocant apocryphos libros eos, qui errores admixtos habent. Sic utitur hac voce Origenes homil. 1. in Cant.; Hieronymus in epistol. ad Lætam de institut. fil., et Augustinus libr. XVI. de *Civitate Dei* cap. 23. Quam significationem secutus Gelasius in decreto de libris Ecclesiasticis, eos libros vocat apocryphos, qui sunt editi ab auctoribus hæreticis, vel certe suspectis.

Quod autem Glossa in can. *Sancta Romana*, distinct. 15. dicit, apocryphos vocari eos

(1) Apoc. I. 3; XXII. 7.

libros, quorum auctor ignoratur; non est probabile: nam tunc multi libri sacri essent apocryphi, ut Liber Judicum, Ruth, Job, primus Machabæorum, et permulti alii, quorum auctores ignorantur, quod tamen abhorret ab usu loquendi Ecclesie. Quis enim unquam audivit, librum canonicum esse apocryphum?

Enumerantur libri apocryphi plurimi a Gelasio, ut habetur distinct. 13. can. *Sancta Romana*, ab Innocentio I. epist. 3. ab Athanasio in Synopsi, et ab Eusebio lib. III. histor. cap. 25, sed magna ex parte non exstant. Qui exstant his sunt: Oratio Regis Manasse, quæ solet annecti libris Paralipomenon, quam ideo apocrypham, aut non certo canonicam dicere posse videtur, quia non est pars alicujus libri sacri, nec ponitur nominatim in canone ab aliquo Concilio, vel Pontifice, vel Patre supra citatis; nec habetur in Hebræa aut Græca, sed solum in Latina editione. Apocryphus quoque est Psal. 151. Davidis, cuius meminit Athanasius in Synopsi, et invenitur in Græcis Psalteris. Quem Psalmum apocryphum dico, quia Concilium Laodicænum canone 59. Concilium Romanum sub Gelasio, et Tridentinum sess. IV. nominatim ponunt in canone Cl. Psalmos.

Item apocrypha est appendix libri Job, quæ tantum habetur in Græcis codicibus. Concilium enim Tridentinum sess. IV, eos tantum libros canonicos haberi voluit, qui in Latina vulgata editione habentur. Præterea B. Hieronymus in quest. in Genes. ostendit, falsum esse quod in illa appendice habetur, Job fuisse stirpe Esau, cum fuerit de stirpe Hus, qui fuit filius Nachor fratris Abrahæ, ut dicitur Genes. XXII. Adde quod illa appendix nititur potissimum auctoritati cap. XXXVI. libri Geneseos, ubi numeratur Jobah inter posteros Esau: at longe aliud nomen est יֹבָב quod est proprium ipsius Job, quam יֹבָב quod habetur in Genes. cap. XXXVI. Apocrypha quoque esse videtur præfatiuncula, quæ præfigitur Threnis Hieremiæ; nam nec est in Hebræis codicibus, nec in omnibus Latinis, et ab expositoribus non attingitur.

Nec minus apocryphus censendus est liber Hermetis, qui inscribitur Pastor. Tametsi enim eum divinitus inspiratum esse putaverit Origenes lib. X. in epistol. ad Roman., et ex eodem testimonia proferant Tertullianus libro de oratione, Irenæus libro IV. cap. 37. Clemens Alexandrinus lib. VI. *Stromat.*

Athanasius in libr. *De Decret. Nicænæ Synodi*; Cassianus, *Coll. XV. cap. 12.* Et eundem librum utilem judicaverit Eusebius lib. III. *Histor. cap. 3.* Rufinus in Symbolum, et Hieronymus in libr. *De Scriptorib. Ecclesiast.* in Hermete; nihilominus tamen nec ab Synodo relatus est in canonem, et disertis verbis eum a canone rejicit Gelasius in decr. de libr. Ecclesiast., et Athanasius in Synopsi, idem etiam Athanasius in lib. de decret. Nicænæ Synodi, et Theodoretus lib. I. *Histor. cap. 48.* Arianos, qui ex hoc libro testimonia petebant, dicuntur libro non canonico testimonia petisse.

Postremo apocryphi sunt liber tertius et quartus Machabæorum, necnon tertius et quartus Esdræ. Et quidem de quarto Machabæorum res perspicua est, cum solum nominetur ab Athanasio in Synopsi, et ab eodem extra canonem ponatur. Quartus autem Esdræ citatur quidem ab Ambrosio lib. de bono mortis, et lib. II. in Lucam, ac in epistol. 21. ad Horalianum; tamen sine dubio non est canonicus, cum a nullo Concilio referatur in canonem, et non invenitur neque Hebraice, neque Græce, ac demum continetur cap. VI. quedam fabulosa de pisee Henoch et Leviatham, quos maria capere non poterant, quæ Rabbiorum Thalmudistarum somnia sunt. Itaque mirandum est, quid Gebrardo venerit in mentem, ut hunc etiam librum ad canonem pertinere vellet, in Chronologia sua pag. 90.

At de tertio Machabæorum major difficultas est, quoniam Clemens in canone Apostol. canon. 84. refert in canonem tres libros Machabæorum. Nec minor est difficultas de lib. III. Esdræ: nam in Græcis codicibus ipse est qui dicitur primus Esdræ, et qui apud nos dicuntur primus et secundus, in Græco dicuntur secundus Esdræ. Quocirca verisimile est, antiqua Concilia et Patres, cum ponunt in canone duos libros Esdræ, intelligere nomine duorum librorum omnes tres. Sequuntur enim versionem septuaginta Interpretum, apud quos tres nostri, duo libri Esdræ nominantur. Accedit etiam, quod citatur hic tertius Esdræ ab Athanasio orat. 3. contra Arianos, ab Augustino lib. XVIII. *De Civitate Dei* cap. 35. a Clemente Alexandrino lib. *Stromat.* 1. ab Auctore operis imperfecti homil. 1. in Math., et a Sancto Cypriano in epist. ad Pompejum.

Quod ad priorem difficultatem attinet, probabile videtur, canonem illum non esse Cle-

mentis. Nam Zephirinus Papa XV. a Petro in epist. 1. tradit, solum septuaginta fuisse canones Apostolorum, vel ut alii Codices habent sexaginta: Humbertus autem in libr. cont. Nicetam non agnoscit nisi quinquaginta: at iste est octogesimus quartus. Et certe melius noverat Zephirinus quot essent Apostolorum canones quam ulli posteriorum. Quocirca non sine causa Gelasius distinct. 13. can. *Sancta Romana*, posuit inter apocrypha canones Apostolorum, quod propter aliquos, vel corruptos, vel additos ab hæreticis fecisse videtur. Nec obstat, quod in canonibus, qui dicuntur VI. Synodi, canon. secundo approbentur 85. canones Apostolorum: nam illi canones non sunt vere sextæ Synodi, sed ejusdem alterius Concilii postea celebrati, quod summus Pontifex Sergius, qui tunc sedebat, non solum non approbavit, sed etiam reprobavit, ut patet ex Beda in libr. de sex ætat. in Justiniano.

Deinde in isto canone 84. numerantur libri canonici, et omittuntur quidam, qui certissime sunt canonici, ut libri Esdræ, Tobie, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Apocalypsis, quæ res non minimi momenti esse videtur. Nam Ecclesia quæ post Apostolos fuit, non aliunde didicit qui libri sint canonici, et qui non sint, quam ex traditione Apostolorum. Porro Clementem exactissime tenuisse Apostolicas traditiones, quippe qui cum Apostolis Petro et Paulo diu vixerat, testatur Irenæus lib. III. cap. 3., et Eusebius lib. V. histor. cap. 6. ergo qui libri a Clemente non ponuntur in canone, absolute canonici non videntur. Proinde vel libri Esdræ, Tobie, Judith, Apocalypsis non sunt canonici, vel decretum illud non est Clementis. Quod autem quidam dicunt, Apocalypsim omissam a Clemente quia nondum scripta erat ejus tempore, probare non possunt. Nam Apocalypsim Joannes scripsit ad finem imperii Domitiani, ut docet Irenæus lib. V. extremo: Clemens autem obiit anno 3. Trajani, ut docet Hieronymus in lib. de vir. illustr. Potuit igitur Clemens Apocalypsim videre.

Deinde, nonne in hoc ipso canone octuagesimo quarto ponitur Joannis Evangelium? At Apocalypsim ante Evangelium scriptam fuisse, plurimi gravissimique auctores testantur. Eusebius lib. III. hist. cap. 24. «Joannem, inquit, tradunt usque ad ultimum pene vite suæ tempus, absque ullius Scripturæ indicis Evangelium prædicasse.» Athanasius in Synopsi: «Evangelium, inquit, secundum Joannem, et prædicatum est a Jo-

anne Apostolo et dilecto, cum exul in Pathmo insula, et postea ab eodem editum Ephesi.» Epiphanius hæres. 51. quæ est Alogum, disertis verbis scribit, editum esse Evangelium a Joanne post 90. annos vite ejus, et post reversionem ipsius e Pathmo.

Theophylactus, Euthymius, Beda, et Rupertus Præfation. Commentar in Joann., communi consensu docet, aut in Pathmo, aut post reditum a Pathmo, Joannis Evangelium scriptum editumque esse. Neque his repugnat quod scribit Dionysius Areopagita in epist. ad Joann. in exilio agentem: vocat enim Dionysius Joannem Evangelii Solem, et cœlestem ejus Theologiam, non ob scripturam aliquam, quæ tunc exlatet nomine Joannis, sed ob divinitatem et admirabilem ejus prædicationem.

Præterea in isto eodem canone 84. numerantur inter sacros libros, non solum tertius Machabæorum, sed etiam epistola duæ Clementis, et constitutiones Apostolicæ ejusdem Clementis: quos tamen libros Ecclesia nunquam pro sacris agnovit. At si ille canon vere esset Clementis, non posset Ecclesia sine magna temeritate hos libros non recipere, siquidem Clemens summus Pontifex erat, et canones Apostolorum vel ipse condidit, vel quod verius est, ab Apostolis conditis litteris commendavit: non autem licet Ecclesiæ Apostolicas leges, vel etiam Pontificis recusare, nisi tantum eas, quas, quod temporis potius quam veritatis dogmatum inservirent, jam abrogatas certo constat, qualis est illa de sanguine et suffocato non comedendo.

Ad alteram difficultatem respondeo: etsi in Græcis codicibus duo libri Esdræ sint nostri tres: tamen non propterea Concilia antiqua et veteres Patres, qui in canone ponunt duos libros Esdræ, intelligere nomine duorum nostros tres. Nam multi Veterum, ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Rufinus in canone exponendo Testamenti veteris, aperte secuti sunt Hebræos, non Græcos: Hebræi autem tertium Esdræ non habent. Deinde nihil ex hoc tertio libro in Ecclesiastico officio unquam legitur: quod argumentum est, a longo jam tempore non fuisse eum librum habitum in numero sacrorum. Præterea Gelasius in Concilio Romano LXX. Episcoporum unum tantum Esdræ librum ponit in canone. Quo uno sine dubio nostros duos intelligit, qui ut Hieronymus testatur præfat. in Esdræ, uno volumine continentur. Itaque disertis verbis Ecclesia

priorem illum, qui est apud Græcos, rejecit.

Denique Beatus Hieronymus præfat. in Esdræ aperte significat, tertium et quartum Esdræ non solum apud Hebræos non haberi, sed ne apud LXX quidem. Quare, licet quidam codices Græci haberent tria volumi-

na Esdræ in duobus libris; correctiores tamen non habebant. Porro veteres Patres utuntur interdum testimoniis ex hoc libro petitis, quem et nos non inutilem esse fate-mur, sed et raro id faciunt, et nusquam sa-crum et divinum appellant.

CONTROVERSIARUM

DE VERBO DEI

LIBER SECUNDUS

DE VARIIS EDITIONIBUS.

CAPUT I.

Ostenditur, editionem Hebraicam Mosis, et Prophetarum nunquam perisse.

Disseruimus libro superiore de libris ipsis sacris, ut eorum numerum et auctoritatem ab hæreticorum calumniis vindicaremus. Sequitur, ut de librorum eorumdem variis editionibus, id est, Hebraica, Chaldaica, Græca, Latina, Germanica, Gallica, et similibus, quæ vulgares dicuntur, breviter disseramus. Parum enim prodesset, librorum divinatorum numerum non ignorare, si cui editioni ex tam variis, quæ nunc exstant, auctoritas tribuenda sit ignoraremus.

Ut igitur ab editione Hebraica ordiamur, duo sunt quæ veniunt in questionem. Unum, an Scriptura illa ipsa quæ a Mose et Prophetis condita est, ad nos usque pervenerit. Alterum, an ea Scriptura quæ Hebraicis codicibus continetur, perverso studio Judæorum ita corrupta ac depravata sit, ut auctoritatem nullam in Ecclesia mereatur.

De priore questione duplex sententia est. Una eorum qui docent, Scripturam sacram universam perisse tempore captivitatis Babylonice, quando civitas eversa, et Templum incensum fuit, ac deinde ab Esdrâ fuisse rursum reparatam, Spiritu sancto ei suggerente et dictante omnia, sicut antea

fuerant. Ita sentire videtur Basilius in epist. ad Chilonem: « Hic campus, inquit, in quo secessu facto, Esdras omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit. » Hæc ille. Addunt quidam in eandem sententiam Irenæum, Tertullianum, et Clementem Alexandrinum, sed illi non aperte hoc docent.

Hæc opinio improbabilis nobis videtur. Non enim alio fundamento nititur, quam testimonio libri apocryphi, id est, lib. IV. Esdræ cap. 14., ubi disertis verbis scribitur, Esdræ totis quadraginta diebus divino spiritu afflatus dictasse quinque viris, qui summa celeritate quæ ab eo dicebantur excipiebant, atque eo modo universam Scripturam quæ plane perierat esse reparatam. Sed hic liber non modo apocryphus est, et ab Ecclesia Catholica nunquam receptus, sed etiam multis in locis redolet fabulas Judaicas, et in hoc ipso cap. 14. non aliter loquitur de quibusdam libris occultis et perfectioribus, quam omnes Thalmudiste faciant de sua Cabala. Quare potius testimonium libri hujus detrahit hinc sententiam fidem, quam afferat: ex libris autem canonicis nihil tale colligitur.

Quod autem quidam dicunt, id colligi ex lib. II. Esdræ cap. VIII. tantum abest, ut sit verum, ut potius contrarium inde colligatur. Sic enim habemus: *Dixerunt Esdrâ Scribæ, ut adferret librum legis Mosis: attulit ergo Esdras, etc.* (1) non dixerunt, ut iterum componeret librum Legis, sed ut adferret, quia sciebant adhuc inveniri. Præterea etsi Scriptura quæ publice servabatur in Templo

(1) I. Esdr. VIII, 1.